



Disciplinae Speculative generales à se invicem per abstractionem à materia
 sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-
 teria Physica et Sensibili, quorum singulas singulae etiam conveniunt Discipline:
 1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-
 hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,
 et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata
 et universaliter secundum rationem; Quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia
 eadem reserata sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione
 sua ab omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,
 sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-
 stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae
 fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in iis, quae non solum in ap-
 prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reserata sunt et saltem
 ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-
 cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,
 nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus est quem Metaphy-
 sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-
 plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas
 alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K¹
 W⁷

iz JC

Signat!

~~SSI~~

29

SPECIALIS
METAPHYSICÆ
DISPUTATIO IX. & ULTIMA,
De

SECUNDARIIS & POSTRE-
MIS ENTIS GENERIBUS,


Nempè De
ACTIONE, PASSIONE, QUANDO,
UBI, SITU & HABERE,

Quam
Auspicio Summi Numinis,
SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII,
Croppenstadiâ Halberstadenſis Saxonis,
Amplifs. Facult. Philof. Adjuncti,

In
incluta WITTEBERGENSIUM ACADEMIA
Placido & publico examini submittit

JONAS WINDERBERGER,
Iglâ-Moravus,
In Auditorio Philosophico,
Ad diem 4. Maji, horis à 7. matut.



WITTEBERGÆ,
Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,
Acad. Typogr.

ANNO MDCXXIV.





SPECIALIS METAPHYSICÆ
DISPUTATIO NONA & Ultima.

Continuatio.

HActenus fuere *accidentia primaria*; nunc sequuntur *secundaria & minus principalia* accidentia, quæ constituunt *postrema sex Entis genera*: qualia sunt *Actio, Passio, Quando, Ubi, Situs, & τὸ Habere*. De quibus *ultimâ* hac in disputatione *Metaphysica*, breviter disquiremus. Sint ergò cum Bono Deo sequentes

T H E S E S.

I. Actio est forma fluens ab agente in subjectam materiam sive in patiens. V. g. *Calefactio prout est actio ignis nihil aliud est, quam actus quidam, vel forma, prout à calefaciente igne provenit, & transit in aquam vel aliam materiam, quæ calefit, & patièdo recipit calefactionem.*

II. Est autem Actio vel Immanens, vel Transiens.

III. Actio immanens est, quæ manet in eodem subjecto, *Actio Im-* à quo erat excitata, adedò ut *causa efficiens & subjectum actio-* *manens.* *nis immanentis planè sint una eademq; res.* Tales actiones immanentes sunt *Intellectio, Volitio, Appetitio, Sensatio, Auditio, Visio &c.* Nam visio tanquam actio fit ab oculo, & etiam recipitur in oculo, *ita ut visio maneat in sua causa efficiente, inq; illà terminetur:* & propterea visio vocatur actio immanens.

IV. Actio transiens est, quæ ab agente quasi transit in rem aliam, sive in aliam materiam, in quâ effectum producit suum, & vim suam exercit in alio, v. g. *Calefactio ignis fluit & transit ab igne in aquam vel aërem, prout producit calorem vel in aquâ vel in aëre. Sic quando Arcularius lignum dofat, vel sutor corium preparat & dissecat, vel sartor pannum, sunt actiones transeuntes.*

V. Deinde Actio est vel Naturalis, vel Intellectualis, vel Voluntaria, vel Artificialis.

Actio Naturalis.

VI. Actio Naturalis est, quæ fit à principio naturæ, adcoq; determinata ad unum modum agendi, Ut *calefactio Solis, humectatio Luna, Ascensus ignis, descensio Terra* & consequenter omnis rerum actio inanimatarum est Naturalis, cum determinatè fiat & necessitate naturali & potentia irrationali.

Actio Intellectualis.

VII. Actio Intellectualis est contemplatio mentis seu intellectûs, qui intelligendo affectat notitiam veri in ipsis rebus, quales actiones exercent Scientiæ, Sapientiæ, & Intelligentiæ, imò omnes habitus mentis, ut quando Mathematicus contemplatur motum Solis aut Luna, vel quando Physicus disquirat de ortu & interitu rerum naturalium, de propagatione Animæ, de nutritione corporis viventis &c. vel quando Geometra dispicit de varietate figurarum, de triangulis, quadrangulis &c. sunt actiones Intellectuales.

Voluntaria actio.

VIII. Actio Voluntaria est Actio specialiter sic dicta, quæ contra distinguitur effectioni, ut sunt Actiones Morales, Civiles, Domesticæ, & Ecclesiasticæ, quæ fiunt ex voluntate & libertate, ut si quis honestè suo ductu vivat, benè agat & justè.

Actio Artificialis.

IX. Actio artificialis est effectio recta cum ratione producta, ut si Artifex secundum artem producat vel mensam vel tabulam, vel scamnum, vel picturam, vel vestem, vel aliud artefactum.

Passio.

X. PASSIO est receptio actionis in patiente, ut quando aqua calefit, recipit patièdo calefactionem ignis, item si quis vapulat, passio est, quæ recipit fustigationem & verbera. Variat autem passio ad modum Actionis, itaq; alia Naturalis est, alia Voluntaria: ut ex ipsis terminis facilè intelligitur.

XI. Notandum verò, quod passio alia sit Corruptiva, alia Perfectiva.

Passio Corruptiva.

XII. Passio Corruptiva est, per quam patiens corrumpitur,

tur, ut combustio & quavis rei destructio, consumptio, & Absumptio.

XIII. Perfectiva Passio est, per quam patiens perficitur, Perfectiva.
ut discere, intelligere, consultare, sentire, videre, audire.

XIV. Deinde Passio quaedam est Transmutativa, & quaedam Intentionalis.

XV. Passio Transmutativa est realis mutatio in patiente, Transmutativa
ut edolatio ligni, combustio, calefactio aquae, elixatio cibi &c.

XVI. Passio Intentionalis dicitur, per quam nulla fit Intentionalis
realis mutatio, sed tantum Actionis determinatio, proindeq; dicitur passio dicitur, sic color sive res colorata quando videtur, quodammodo pati dicitur, quia visus eam excipit & determinat.

XVII. QUANDO est vox ambigua. Nam primo sumitur Interrogative, ut si quaeritur, quando venies: Quando natus est Christus. Secundo Indefinite, ut quando venit plenitudo temporis misit Deus Filium in carnem, quae acceptiones non sunt hujus loci. Igitur tertio vox quando accipitur Nominaliter pro ratione durationis, & ita solet declarari.

XIIX. Quando est Accidens, quod notat finitam durationem. Primo enim facile intelligitur, quod Quando importet aliquam durationem, hoc est, permanentiam rei in esse, seu moram & tractum existentiae, ita ut res denominetur aliquandiu, vel fuisse, vel quod jam sit, & adhuc duret, vel quod in futuro sit. E.g. Quaeritur de studioso, quando sit disputaturus, respondetur futura septimana, vel crastino die: ubi illa denominatio ex tempore futuro desumpta, facit aliquod QUANDO, & per durationem finitam determinat Actionem futuram studiosi.

XIX. Dicitur autem, quod Quando importet durationem finitam, ut excludatur eternitas, quae est duratio infinita, & non restringitur ad hoc Entis genus, quod appellatur Quando.

XX. Igitur *sola duratio finita* constituit prædicamentum *Quando*, adeò ut omne *quò* quando sit vel in ævo vel in tempore esse.

*In ævo esse
quid?*

XXI. *In ævo sunt Angeli & Spiritus omnes*, quorum duratio habet quidem initium, sed non habet finem. Angeli aliquando sunt creati, sed ita continuò durant ab illo initio creationis, ut nunquam ad finem existentiae pervenire debeant, adeoq; perpetuò durabunt.

*In tempore
esse quid?*

XXII. *In tempore dicuntur esse corpora*, quorum duratio, & initium habet & finem. Aliquando enim coeperunt esse, & iterum aliquando desinent per corruptionem sui. Ut Homo nascitur & moritur, ideoq; ejus duratio & tractus vitæ aliquando incipit, & iterum aliquando desinit.

XXIII. Accuratè vero observandum est, quod *quò* *Quando* non sit ipsum tempus, sed *ordo durationis rerum ad tempus*: hoc enim est, quod aliàs dicatur *quò* *quando esse id*; quod *ex adjacentia temporis relinquatur*.

XXIV. Omnino ergò dicendum est, quod *proprie quò* *Quando* non sit ipsum tempus, sed *denominatio facta ex tempore, vel secundum tempus & secundum ævum*. Prout enim aliquid aliter atq; aliter denominatur, ex alio atq; alio tempore, temporisve differentiâ, in tantum denominatur ex *Quando*: sic à seculo vel nuper vel heri factum, si dicatur aliquid, erit descriptio ex adjacentia temporis præteriti.

XXV. Igitur hic *quò* *Quando* ob varietatem temporis dividitur in Præsens, Præteritum, & Futurum.

XXVI. *Præsens Quando* est ordo durationis ad tempus præsens, ut si dicatur: Hoc jam, nunc fit, hoc seculo, hoc die, hoc mense, hac hora.

XXVII. *Quando Præteritum* est ordo durationis ad tempus præteritum, ut fuisse præterito anno, seculo, factum esse superioribus diebus, nuper, à seculo, olim &c.

XXVIII. Deniq; *Quando Futurum* est ordo durationis ad tem-

ad tempus futurum, *ut fore, futurum esse, anno sequente, vel cras, vel perendie.*

XXIX. UBI vulgò explicatur per finitam rei præsentiam, ita ut hoc loco *ubi* nihil aliud sit quàm Accidens notans finitam repræsentiam. *Ut explicat Scheiblerus, & ita Ubi facit vel Circumscriptivum vel Definitivum.*

XXX. UBI CIRCUMSCRIPTIVUM est Accidens, secundum quod aliquid dicitur esse totum in toto spatio, & pars ejus in parte spatii. Sic corpora naturalia in statu naturali posita circumscriptivè sunt in aliquo Ubi, ut Arbores, Bestiæ, Homines & summatim quævis corpora in longum latumq; deducta. *Ubi Circumscriptivum.*

XXXI. UBI DEFINITIVUM est Accidens, secundum quod aliquid est totum in toto spatio & totum in qualibet parte spatii: Sic Angeli & omnes Spiritus sunt in Ubi definitivo: Ita ut definitè determinetur præsentia Angeli, ad hîc & non sit ibi, vel alibi. Interim hîc adest ut totus Angelus sit in toto spatio, & quævis ejus pars sit in toto spatio, non enim per extensionem partium occupat certum spatiû, sed per simplicem præsentiam. *Ubi definitivum.*

XXXII. Sed uti tempus distinguebatur à Quando: sic etiam Ubi est esse in loco, & esse in certa præsentia constitutum: Et ita hoc loco UBI accipitur. Sic ergò definitur. *Locus distinguitur ab Ubi.*

XXXIII. *Ubi est Ordo rei ad locum*, vel ad certam præsentiam, v. g. quando dicitur *Angelum alicubi esse*, ibi fit denominatio Angeli ex ordine, quem habet ad locum, vel ex determinata præsentia. *Ubi quid?*

XXXIV. Certum autem est, quod *ipse locus non constituat predicamentum UBI, sed ESSE IN LOCO*, utpote esse sursum vel deorsum, esse in templo, in foro &c.

XXXV. Est UBI vel Naturale, vel fortuitum. *Ubi Naturale* est ordo ad naturales locorum differentias, ut supra, infra, ante, retro &c. sunt quasi à natura. *Fortuitum.*

Fortuitum.

Fortuitum

Fortuitum UBI est ordo ad accidentales locorum differentias, ut esse in Museo, in Auditorio, in foro, in templo, fortuita dicuntur Ubi, quia sunt arbitraria & dependent à voluntate Hominis.

XXXVI. Coeterum notabile est, quod aliquid alicubi esse dicatur vel Enter, vel praesenter, vel potenter: Undè est versiculus:

Enter, praesenter, Deus hic & ubiq; potenter.

Enter alicubi.

XXXVII. Enter alicubi esse dicitur, quod secundum suam essentiam realiter & revera ibi est, ubi esse dicitur. Sic qui mecum est in museo meo, Enter mihi adest: Sic Christus in sacra coena Enter praesens est.

Praesenter alicubi.

XXXVIII. Praesenter alicubi esse, dicitur quando aliquid in conspectu adest, licet secundum Essentiam suam absit, sic Sol quando ortus est, nobis praesens esse dicitur.

Potenter alicubi.

XXXIX. Potenter alicubi esse dicitur, quod secundum virtutem & efficaciam operandi adest. Sic Sol secundum virtutem est in intimis Terræ visceribus, ibique operatur. Sic Princeps, Cæsar, Rex, secundum virtutes alicubi adsunt.

Situs.

XL. SITUS est ordo positus partium corporis ad locum: prout enim corporis partes certo respectu disponuntur, Situari dicuntur, ut in sessione hominis est certa dispositio partium humani corporis, nempe brachiorum, ventris, femoralium, pedum, & illa dispositio partium in corpore vocatur Situs.

XLI. Est autem vel Naturalis, vel Voluntarius. Ille à natura est & ex positione partium naturali, ut in Homine positio capitis sursum, ventris in medio, pedum deorsum. Voluntarius verò Situs oritur à libera voluntate & fortuita positione, ut in sessione Hominis, statione, recubatione.

Habere.

XLII. Deniq; HABERE est ordo corporis ad adjacentiam eorum, quæ circa corpus sunt, ut vestitum, esse palliatum.

XLIII. Est autem trò Habere vel Naturale, vel Artificiale.

XLIV.

XLIV. *Habere Naturale* est, quod à natura est. Sic natu^m *Habere Naturale*
ra omnibus animalibus, excepto homine, quantum ad vestes
& arma pertinet, providit. Sic lepus à natura quasi habet
certa arma, quibus se defendit, utpote colorem qui Terræ
similis est & in suo loco lapidi, adeoq; non facilè animad-
vertitur, item habet velocitatem pedum.

XLV. *Artificiale est*, quod ab arte factum Hominibus *Artificiale*
induitur, licet per accidens bruta interdum ejusmodi indu-
mentis vel armentur, vel ormentur, qualia indumenta sunt
varia, ut ornamentis loco, tegumentis vel poenæ loco, ut ca-
tenatum &c.

A X I O M A T A.

1. *Actio est prior quam Passio naturâ & dignitate.* Oritur enim ex principio agente, & fluit in patiens, adeoq; infert passionem.
2. *Actio suscipitur propter finem:* quia nullum agens frustra agit.
3. *Modus agendi insequitur modum essendi.* Ut enim res est in esse; ita etiam in operari.
4. *Ubi eadem sunt operationes, ibi eadem est Essentia; Intellige operationes específicas & proprias,* quæ per se ex essentia & naturâ rei proveniunt. Sic ubicunq; datur nutritio eadem, ibi & eadem datur Anima.
5. *Actiones determinantur per objecta.* Ut duratio in luto determinatè fit, similiter liquefactio in cera. Ubi calefactio Solis determinatur per lutum & ceram.
6. *Actiones sunt suppositorum, item Actiones sunt singularium.* Id enim quod agit, semper est aliquod totum, & per se subsistens, licet sæpè agat mediantibus partibus suis.
7. *Omnis Actio est per contactum:* Scilicet vel per virtua-
lem, ubi virtualiter agens tangit patiens, vel per corpora-
lem propriè dictum.
8. *Omnis Passio presupponit actionem:* Quia infertur ab actione & nihil aliud est, quam receptio actionis.

B

9. Non

9. *Non quidvis quodvis patitur.* Debet enim dispositio quædam esse in patiente ad recipiendam certam actionem. Sic impressionem figurarum variarum non recipit aër, nec ferrum, ut cera, quæ facile fingi & refingi potest ad impressionem Artificis.

Q U Æ S T I O N E S.

I.

An omnis creatura sit in loco?

Ita ineptit Timplerus lib. 2. suæ Metaph. cap. 5. q. 5. sed contra nos ita argumentamur:

Quicquid est in loco, id ambitur & circumscribitur termino alterius corporis comprehendentis.

At non omnis creatura ita ambitur & circumscribitur.

E. non omnis creatura est in loco.

Imò nec omnis potest esse in loco vero, cum non possit propriè & localiter contineri. Major est certa ex definitione Loci ab Arist. 4. Phys. positâ: cujus veritas alibi est confirmata. Minor exinde constat: quia 1. *Angeli & Spiritus* non possunt ambiri & terminari circumscribente termino: cum non sint quanti, nec situm aut ordinem partium habeant, sed sunt ἀμέριστοι. 2. *ultimum & supremum corpus* nequit ab alio continente ambiri. Aliàs non esset ultimum, si ab alio superiore comprehenderetur. Omninò autem dandum est ultimum aliquod corpus, ne fiat processus in infinitum.

II.

An ulla creatura possit esse ubiq;?

Et hoc Timplerus simpliciter negat, quasi impossibile sit creaturam esse ullo modo ubique: sed S. Scriptura contrarium docet de Humanâ Christi natura. Hæc enim adsumpta est in λόγον illocalē, adeoq; subsistit in Subsistentiâ τῷ λόγῳ infiniti, immensi & omnipresentis. Ergo humana Christi natura

natura non erit in determinato certo loco, sed ubique: scilicet vi istius unionis personalis, uti hoc ipsum solide demonstrant Theologi ex Scripturâ. Igitur negamus Impossibile esse creaturam esse ubiq; per Dei infinitam potentiam & sapientiam. Licet quidem naturali modo fieri id non possit: tamen supernaturali & divinâ virtute omnino fieri potest.

III.

An Tempus ejusq; differentia cadant in aeternitatem?

Negandum hoc *ζήτημα* est. Et quidem veritas hujus negationis non potest non esse manifesta illi, qui quiditatem Temporis vel perfunctorio saltem oculo quasi per transennam conspexit. Obscurum enim esse nequit, quod *Tempus non insit, nisi rebus mobilibus*, quæ perpetuo motui & mutationi sunt obnoxia: quarum quædam prætereunt, & esse desinunt: quædam adveniunt ac prioribus succedunt: cum Tempus sit *numerus ac mensura motus*: neq; differat realiter à motu ipso. Quid ergò Tempori erit commune cum Aeternitate? Sed paulò altius hæc discutiamus. *Tres sunt durationes rerum; Aeternitas, Aeviternitas sive Aevum, & Tempus.* Quemadmodum enim *res ipsæ* sunt in triplici differentia, quippe vel *Aeterna, vel aeviterna vel Temporales*: sic & ipsarum durationes sint triplices & distinctæ necessum est. Etenim *duratio rerum nihil est aliud, quam perpetuatio & continuatio existentia*. Propriè enim durare dicuntur res, quando in sua existentia perseverant. *E. existentia rerum sive essentia ipsa actualis & duratio non differunt realiter*. Nam ex vi folius existentia absq; ullâ aliâ re, vel modo reali superaddito res durat. *Existere res dicitur, quando est extra suas causas*, non connotando aliquam præexistentiam: *Duratio autem dicit perseverantiam* aliquam in eadem existentia:

ut ita summatim duratio sit existentia vel essentia actualis
perseverans: Quemadmodum hac de re alibi dicetur fusius.
 Hinc jam liquido sequitur: *Ut se habet essentia actualis rerum:*
sic etiam se habet earum duratio: cum non nisi ratione (ratio-
 cinatâ scilicet) distinguantur. E. ubi res ipsæ sunt distinctæ,
 ibi & durationes earum erunt distinctæ. E. etiam quanta di-
 stinctio sive diversitas est inter essentias rerum: tanta etiam
 erit inter durationes earundem. At verò *Ens est* vel in-
 creatum & *infinitum*: vel creatum & finitum. E. *duratio*
entis erit ita distincta. *Essentia increata & infinita* est abso-
 lutè & simpliciter *permanens sine omni omnino mutatione*:
 sine variatione *τὸ εἶναι* vel actuum immanentium, vel ope-
 rationum. Sed *creata entitas est successiva & mutabilis* vel ra-
 tione ipsius *εἶναι* & operationum simul, uti fit in rebus tem-
 poralibus; vel tantum in aliquibus operationibus, & moti-
 bus ejusdem suppositi: sine variatione tamen ipsius essentiæ,
 ut fit in æviteris. Ergò & duratio illarum taliter se habebit.
Essentia increata caret principio & fine. At creata non item.
 E. & *duratio increata* erit absq; termino principii & finis: Et
 creata duratio terminabitur, ut ex se principium habeat,
 finemve. *Essentia increata requirit omnem actualitatem*,
 omnem perfectionem, omnem totalitatem. Creata non
 item. E. & duratio illarum ita erit distincta. Jam quis ne-
 scit, in quantum distent Ens creatum & increatum, finitum
 & infinitum. Hic sanè obtinet illud tritum: *Finiti & infi-*
niti nulla datur proportio. Ergò & duratio infinita finitaq;
 immane quantum distabunt. E. nulla erit proportio dura-
 tionis Finitæ & Infinitæ. E. nullo modo sunt unum & idem.
 E. nullo modo debent commisceri confundiq;. Hinc col-
 lige hunc in modum.

Duratio finita non est confundenda cum Infinita,

E. neq; Tempus cum aternitate.

E. Tempus non cadit in aternitatem.

E. neq; differentia Temporis sunt invehenda in aterni-
tatem.

Cer.

Certum autem sit, nos loqui de Æternitate propriè sic dicta, quæ à Boëtio describitur, quod sit *interminabilis vita tota simul & perfecta possessio*. Vel quod idem. Æternitas est *Interminabilis, Indivisibilis & Independens*; *Interminabilis* est, quia infinita: *Indivisibilis*; quia tota simul est sine omni *successione & expers omnis mutationis*: nullum in illo præteritum vel futurum. Hinc Thomas opusc. 44. quod est de Tempore c. 4. ait: *Æternitas est mensura durationis rei semper simpliciter se habentis, nihil acquirentis in futuro & nihil admittentis in præterito*. Hinc tres conditiones Æternitatis. 1. *carere principio*. 2. *carere fine*. 3. *carere successione*. Sed de hac duratione, ut & Æviternitate, accuratius scrutari nunc non licet. De Tempore dictum est in *Physicis Disputationibus*. Et facili negotio perspicitur, quomodo distet à duratione Æterna immutabili & simpliciter permanente. *Tempus enim est mutabile*. At *Æternitas immutabilis*: E. hæc non subjicietur Tempori. *Tempus habet initium finemque*. E. non erit æternum vel interminabilis ratio. Sed concludamus thesin vel unico hoc argumento.

Ubicunq; non obtinet posterius & prius; ibi neq; Tempus neq; differentia temporis dari possunt.

At in æternitate sive immutabili duratione non obtinet prius & posterius.

E. in æternitate neq; Tempus neq; differentia temporis dari possunt.

Sic itaq; thesis nostra sat est statuminata. Quia verò Photiniani hic iterum obstrepunt, hasq; distinctissimas durationes miserrimè confundunt; idcirco antithesin attingamus oportet, sed breviter. Socinus in prælect. Theolog. c. 8. ita ait: *Tempus æternum est quicquid Theologi nostri contra disputent, semperq; & fuit & futurum est, ut & præteritum aliquid & præsens & futurum sit*. Idem statuit Goslavius lib. contra Keck. part. 2. c. 8. Verstius in Notis ad Disp. de Deo. Audiamus ra-

tilinculas. Primò producunt *dicta scriptura*, ubi Deo æter-
no attribuuntur, anni, dies, menses. *Pf. 90. v. 5. 2. Pet. 3. Pf. 102.*
ubi etiam Deus *Apocalyp. 1. dicitur is qui fuit, qui est & qui*
venturus est. E. & ipsis licere putant cum Scriptura in Deum
transferre species differentiasve temporis. Sed Resp. hoc
fieri *αὐτὸ γινώσκουσιν* & ob imbecillitatem intellectus nostri: cum
aliter nequeamus apprehendere æterna, nisi per tempora-
lia. Confer *Perer. lib. 12. P. phys. c. 9.* Quomodo etiam Deo in
scriptura tribuuntur *membra corporea*, ex quibus tamen in-
ferre haut licet, quod habeat corpus. E. neq; hic ita infe-
rendum. Deinde Tempus Deo & æternitati nonnunquam
adsignantur *propter coexistentiam æternitatis cum tempore.*
Sed denominatione extrinseca. Nos autem hîc quærimus
de natura ipsius Æternitatis, qualis in se & per se sit, non
qualis per accidens extrinsecus denominetur à tempore.
Simili modo *differentia & species loci Deo & Spiritibus attri-*
buuntur, quod cum loco sint: licet extrinsecè. Quis autem ex-
inde diceret Deum verè esse in loco: aut angelos verè cir-
cumscribi loco? Absurdum. Idem judica de ratione Tem-
poris. Similiter & *Goslavii* objectio fallit, quando ita d. l.
ineptit. *Quid absurdi est, si dicamus æternitatem esse duratio-*
nem præsentem, præteritam & futuram. An ab æterno esse vel
fuisse non est duratio præterita principio carens? Non igitur hæc
est vel maxima distinctio temporis in æternitate? Si igitur non
est idem ab æterno esse, & in æternum futurum esse, non potest
quisquam negare in æternitate distinctionem temporis posse co-
gitari. Hæc *Goslavii* argumentatio procedit à *denominatio-*
ne extrinseca, quæ fit per apprehensionem & cogitationem
nostri intellectus: ubi ob aliud externum in æternitate per se
carente omnibus temporis conditionibus, adsignamus tem-
poris differentias. Talem autem collectionem nihil posse
præjudicare naturæ rerum, vel è dictis ad primam objectio-
nem constare potest. Unde etiam ipse *Goslavius* non audet
concludere, quod in æternitate *sint revera* temporis distin-
ctiones:

Etiones: sed cogitur concludere, quod possit cogitari distin-
ctio temporis in aeternitate. Sic autem Goslavius non probat
id, quod debet probare: nec ipsius conclusio negat nostram
thesin, nempe in aeternitate non dari differentias temporis.
Sic igitur Goslavius vehementer peccat contra verum modum
disputandi: ut alibi docebitur. Sed qualis sequela Goslavii.
In aeternitate concipimus prateritum & futurum. E. ibi revera est?
Nulla. Concipio unum eundemque parietem modo ut fini-
strum, modo ut dextrum. Ergo ne propterea alius paries est
sinister, & alius dexter; sed vide Cl. Dn. D. Jac. M. in l. 2. de T. E.
c. 51. Quidam absurdi est, inquit, si dicatur Aeternitatem esse
durationem praesentem, praeteritam & futuram: hoc est Gos-
lavii. Prateritum est, quod non amplius est, sed fuit effluxitque.
Futurum vero, quod nondum est, sed adveniet. E. haec differen-
tia temporis ponunt prius & posterius. E. successionem continu-
am: ubi una pars durationis relinquatur & quasi deponatur:
altera acquiratur. E. mutabilitatem important. Ergo secun-
dum Goslavium Aeternitas erit duratio mutabilis. E. in Deo
erit mutabilitas. E. essentia Dei mutabitur. En Goslavi ab-
surdum maximum! Immo secundum tuam opinionem ipsa
divina essentia erit mutabilis: cum duratio realiter sit unum
idemque cum essentia, cujus duratio est, ut initio hujus quaes-
tionis confirmavimus. E. Duratio aeterna realiter erit ipsa
Dei essentia. E. si cadunt distinctiones temporis in aeternita-
tem: eo ipso cadent in ipsam essentiam Dei. At distinctiones
temporis important aliquid; quod fuit, & jam non est: Itemque
aliquid, quod esse potest, & nondum est. E. in ipsa essentia di-
vina ponet Goslavius aliquid, quod nondum est, sed esse pot-
est, itemque quod fuit, sed jam non amplius est. Absurdissi-
ma absurda. Caveamus ergo, ut in Aeternitatem inve-
hamus Tempus aut differentias temporis.

Sed manum de tabula.

SOLI DEO GLORIA



Ad Dominum RESPONDENTEM.

Num te collaudem JONA? non indigus hujus,
Quin te collaudat fervor in arte tuus.
Hinc Logicam tractas, nunc TRANSCEN-
DENTIA curas,
Sedulus heus pergas: Sic quoq; doctus eris.

ἀποχρηστικῶς fecit

*M. ABRAHAMUS HEINECCIUS,
Wittebergensis, Logicae ac Metaph.
Professor publicus.*

F I N I S.










AB: 67 $\frac{5}{c, 10}$

ULB Halle
003 357 104

3








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



29

ALIS
 YSICÆ
 C. & ULTIMA,
 S & POSTRE-
 ENERIBUS,
 ONE, QUANDO,
 HABERE,
 Numinis,
 DIO
 SCHARFII,
 adensis Saxonis,
 of. Adjuncti,
 IUM ACADEMIA
 ni submittit
 ERBERGER,
 VUS,
 losophico,
 ris à 7. matut.
 R G Æ,
 STIANI THAM,
 ogr.
 XXIV.

